

NICOLAVS DONIS MONACHVS.



**N**icolaus vir in diuinis & humanis literis doctissimus ordinē Benedictinum ingressus est, ut commodius bonis literis uacare possit. delectabatur autem potissimum studio Mathematico, atque Ptolomæi scriptis utilissimis. Itaq; eo doctrinæ processit ut in ijs disciplinis nulli secundus eo tempore extiterit. Ipse etiam Ptolomæi Cosmographiam in pulueribus repertam restaurauit, atq; in lucem reduxit, adiectis nouis & elegantissimis tabulis, quibus ingenij sui felicitatem posteris commendauit. scripsit etiam ad Paulum pontificē libros octo de mundi locorum situ, & eorum mirabilibus, ac quædam alia, claruit circa annum 1468. Trit.